



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

196. An, & qualiter præeligere unum ex judicatis idoneis solius sit Episcopi, ejusve Vicarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

tit. p. 9. c. 2. n. 109. Quod si tamen duorum Examinatorum unus à trium examinatorum uno solo fuit approbatus, alter ab omnibus tribus, nequaquam poterit Episcopus illum ab uno solo approbatum præeligere; quia hic nequidem censetur approbatus idoneus. Vide declar. S. Congreg. ad cit. c. 18. *Trid. in pratermissis solitis apponi ad calicem Tridentini.*

2. Respondeo secundò: hanc Episcopi seu Vicarii accessionem debere fieri in ipso actu, atque in forma collegiativa, tanquam per speciem electionis vel actus Capitularis, hoc est, in ipso examine seu coram ipsis Examinatoribus simul congregatis, & non separatim; nam approbatio & reprobatio eorum, qui examinantur, non potest fieri separatim, sed Examinatoribus simul cum Ordinario congregatis. C. de Luc. ad *Trid. d. 32. n. 11. Garc. n. 58.* Quamvis electio ex approbatis facienda ab Episcopo ex post facto & separatim fieri possit, cum ad ipsum solum spectet. *Garc. n. 58.* modo id fiat intra statutum terminum 6. mensium, ne aliàs devolutioni sit locus, atque ita praxis frequens docet, in magnis præsertim diocesis, ut vota approbatorum absenti ab urbe, in qua habetur concursus, vel etiam extra diocesim, transmittantur, ut prælectionem faciat ad effectum propriæ vel aliæ provisionis. C. Luc. loc. cit. n. 12. fieri enim potest, ut concursus habeatur coram Vicario generali & Examinatoribus simul congregatis, prælectio autem ab Episcopo absente. Luc. de par. d. 1. num. 2.

Questio 196. An, & qualiter præeligere unum ex iudicatis idoneis solius sit Episcopi ejusve Vicarii?

1. Respondeo ad primum: affirmativè juxta verba Concilii, & desuper repetitas sæpe S. Congregationis declarationes, quas vide apud *Garc. p. 9. c. 2. num. 108. & Cozzad. l. 3. c. 4. num. 2.*

2. Respondeo secundo, Episcopus non ex voto- rum calculo, numero & collectione potest eligere, sed debet suo iudicio eligere magis idoneum, seu eum, qui sibi videtur magis idoneus; sic censuit S. Congreg. apud *Garc. n. 109.* unde non tenetur in hac prælectione Episcopus, vel alter superior, ad quem pertinet, sequi majorem numerum suffragiorum; sed sufficit, quod eligat unum ex jam approbatis juxta dicta in *responsione 1. ad questionem præcedentem.* C. Luc. ad *Trid. d. 32. num. 25.* quinimò sufficit prælectum esse illum, cujus approbatio ex Episcopi vel Vicarii adhesionem resultaret, dum nimirum vota Examinatorum erant paria. C. Luc. *ibid. n. 26.* testans se scribente, non sine magna tamen discrepantia, sic fuisse à S. Congreg. decisum. Atque hujus resolutionis probabilia fundamenta à se recenseri in *suis parochialium adnotationibus, d. 1.*

3. Respondeo tertio: sed neque Episcopus præeligere potest illum ex idoneis, quem maluerit, sed quem magis idoneum reputabit, cum ejus iudicium bene regulatum esse debeat, idque etiam seclusâ illâ formâ conciliari vi juris communis, cum beneficia curata liberæ etiam collationis non nisi dignioribus conferri debeant. C. Luc. loc. cit. n. 17. Quamvis idem de *paroch. d. 1. n. 25.* dicat secluso isto conciliari decreto, attentâque dispositione juris communis, etiam in parochialibus, Episcopum habere liberum arbitrium eligendi eum, quem repu-
P. Leuren. Fori. Benef. Tom. 1.

tat idoneum, absque illa forma vel restrictione ad approbandos vel reprobandos ab Examinatoribus remanente solum questione concernente forum internum, an teneatur conferre digniori, vel sufficiat conferre digno; ac proinde dictum decretum Conciliare remanere à jure exorbitans & correctorium, adimens Episcopis facultatem aliàs competentem. Vide dicenda q. ult. hujus sect. & citatum ibi D. Thom.

Questio 197. Quid in præelectione spectare debeat Episcopus, & unde ab eo estimanda major idoneitas?

1. Respondeo observanda esse sequentia: primò, etsi Concilium in estimanda majore idoneitate, quicquid est, totum deferat arbitrio Episcopi, debet tamen ipse illud non ex proprio affectu, sed iudicio rationis restringere, ne etiam facta ab ipso prælectio revocetur tanquam irrationabilis. Lott. l. 2. q. 31. n. 135.

2. Secundò, morum gravitatem & honestatem in promovendis tantum fieri per Sacros Canones, ut imprimis ubique præferatur nobilitati generis. c. nos, qui presumus. dist. 40. denique in c. in cunctis, de elect. n. 5. apud Lott. n. 140. Item literatura. Decius n. 9. non quod ea in promovendo quemcumque bene morigerato non sit necessaria, sed quia illa usque adeò non attenditur, ut in prælatione major ratio bonorum morum haberi non debeat, modò tamen literatura suam mensuram obtineat. Agid. in c. ex multis. q. 3. n. 11. Lott. n. 142. & sequens referens sic pluries resolutum à Rota, præcipue in una Benevent. paroch. 13. Maji 1590. coram Orano. Econtra eidem Canones ita exosos habent ineptos mores in promovendo, ut eum etiâ repellant, cujus opinio gravata ex sola denuntiatione vel inquisitione Abb. in c. cum in cunctis, de elect. n. 4. Lott. n. 145. imò ex sola & simplici fama seu diffamatione; eò quòd facile inde oriri possit scandalum aliquod inter parochianos. Lott. n. 146. & 147. citans Calder. de prob. consil. 9. & quod amplius est, repellunt quoque eum, qui ex defectu probationum absolutus esset à crimine sibi impacto; eò quòd sub hac forma absolutus vexari iterum posset supervenientibus novis iudiciis. Lott. nu. 148. & 149. qui etiam n. 150. ait: in isto articulo prælationis in concursu ad parochialem se credere, vix prodesse sententiam absolutivam, etiam tanquam de innocente; eò quòd remaneat semper macula quædam in absoluto: unde si alius concurrat similem aut aliam maculam non habens, debeat is præferri. citat pro hoc Lamb. de jurep. l. 2. p. 3. q. 6. no. 1. n. 4. & Rotam. Idem tenet C. de Luc. ad *Trid. d. 32. num. 22.* nisi tamen liqueret per sententiam fuisse talem delatum & accusatum per calumniam. Lott. n. 151. ex Goffredo. Multòque magis n. 152. ait, hanc repulsam locum habere in eo, qui accusatus, denuntiatus, inquisitusque composuit se cum Fisco, ut Rota in Ripana paroch. 23. Junii 1608. etsi enim inde non videatur resultare confessio delicti (nisi versemur in delicto, super quo habita fuit translatio, ut post alios Farinac. de inquisit. q. 5. nu. 18.) remaneat tamen semper maculata hominis fama; cum etiam ea pecunia succedat loco pœnæ juxta l. senatus, de jure Fisci. Atque ex his demum infert Lott. n. 153. contra Gl. in c. fidelior. dist. 50. v. gratiam, criminofum pœnitentem correctumque in concursu innocents huic præferendum, eò quòd talis